



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

De his, quæ in Paraphrasibus Erasmi mutata fuere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

erudiamur, sed ut ejus fini nos conforman-
do veluti ipsius membra divinas laudes pro-
muntiemus, debitas gratiarum actiones per-
solvamus, & nobis necessaria imploremus.
Unde propter talem orantium intentionem
affectus inflammetur, illuminetur intellectus,
humana inopia sublevetur, atque gratiæ &
gloriæ fructus comparentur. Quæ certum
est orantes per tales orationes vocales, quam-
vis verba non intelligant, præterdere.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

De his, quæ in Paraphrasibus Erasmi mutata fuere.

Notat insuper Facultas quasdam contortas locutiones, ac mutationes, quas Erasmus suis Paraphrasibus intruferat; sic utitur dictione *sermo*, cum in primo capite S. Joannis dicatur: in principio erat *Verbum*. Referens verba Institutionis Eucharisticæ ex prima Epistola ad Corinthios cap. 1. ponit verbum *frangitur*, cum tamen legamus: *quod pro nobis tradetur*. Insuper in cap. 1. S. Joannis particulæ *sic* substituit verbum *si*. In capite quarto Epistolæ ad Philippen- ses non legit: *Germane compar*, sed *germana conjunx*: in capite decimo quarto S. Joannis non ei placet verbum *Paracletus*, hinc ponit nomen: *Paracletus*: item Luc. 1. & Tit. 2. scribit *Servator* pro *Salvator*, *Betheida* pro *Bethsaida* Joan. 5.

X 3

Betha-

Sæcul. XVI. *Bethabara* pro *Bethania* Joan. I. ac denique *Melite* pro *Mitilene*.
A.C. 1527.

De quibusdam propositionibus ex
Paraphrastæ vel Typrographo-
rum inadvertentia de-
pravatis.

Reprehenditur etiam Erasmus de quibusdam erroribus, qui ex incuria irrepsertunt: hos inter observatur. I. Quod Auctor in caput decimum S. Matthæi dixerit, sanctum Judam Apostolum fuisse Jacobi filium, cum tamen illius frater fuerit. II. In capite secundo Lucæ Erasmus posuit *Bethleem* pro *Nazareth*, cum tamen S. Lucas ita scribat: *Reversi sunt Parentes Jesu in civitatem suam Nazareth.* III. In caput I. Joannis Nomen *Nathanael* transmutavit Erasmus in Nomen *Philippus*. Plures insuper ejusmodi errores notabantur: postremo autem Facultas hunc articulum absolvit adductis quatuor propositionibus, de quibus affirmat: *Quod Erasmus minus recte Paraphrastæ officio fundus sit, eoquod sensum, ubi aperire debuisset, non aperuerit, cum tamen per alios Catholicos Doctores clare explicetur: nam certum est, quantum ad primam, non licere viro ducere aliam uxorem, propria etiam adulterante, cum sit omne vinculum Matrimonii inter Fideles*
jure